Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE

[F]EBRE ARDENTE SIVE CAUSO,

QUAM

SUB AUSPICIIS DIVINIS

CONSENTIENTE

GRATIOSA FACULTATE MEDICA

[A]LMA ARGENTORATENSIUM UNIVERSITATE

PRO LICENTIA

[SU]MMOS IN ARTE MEDICA HONORES

ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE ATQUE LEGITIME CONSEQUENDI,

[S]OLENNI ERUDITORUM EXAMINI

Subjicit

[C]HRISTOPHORUS CAROLUS HENTSCHEL,

Auguſtanus,

AD D. XXII JUN. M DCC XXXIII.


H. L. Q. S.

ARGENTORATI,

TYPIS, JOHANNIS HEINRICI HEITZII.

ſunt obnoxii, ſic ut è centum vix unus reperiatur, qui ab harum inſultibus ſe immunem fuiſſe teſtari queat, & nullus fere præterlabi ſolet annus, quin iſtæ ſub diverſis typis prodeant; quare cum nuper exantlatis Examinibus Doctoralibus, à Gratioſa Facultate Medica Diſſertationem Inauguralem benigniſſime conceſſum fuerit conſcribere, eamque absque Præſide defendere, ex innumeris febrium ſpeciebus conſultum duxi, Febrem ardentem ſive Cauſum pro themate hujus ſpeciminis inauguralis ſeligere, inque hujus affectus hiſtoria tradenda & cura olim à me præſtanda exiguas meas vires periclitari. Faxit Summum Numen, ut id cedat in magni Nominis Sui gloriam & multorum ægrotantium ſalutem.

THES. I.



THES. I.



Ebris ardens, Græco nomine Caufus, Germanis eine hitzige Kranckheit dicta, eft febris continua & acuta, vehementiffimo æftu totum corpus afficiens, fiti intenfa aliisque gravioribus fymptomatibus ftipata, atque haud raro lethalem eventum poft fe trahens.

THES. II.

Differentiæ autem, quæ Caufum ab aliis morbis cognatis difcernunt, funt præcipue fequentes: fic differt primo a febre continua, quæ fuas remiffiones habet (in qua calor nempe febrilis fubinde magis minusve remittit, certo vero tempore rurfus exacerbatur) hæc vero febris uno eodemque caloris gradu periodum

ſuam percurrit: hinc omnis quidem ardens continua eſt, non vice vero verſa omnis continua ardens.

Secundo a febre cholerica diſtinguitur, quia in ea ſymptomata paulo mitiora obſervantur quam in cauſo, tum & frequenter excretio bilis contingit vel per ſuperiora vel per inferiora, quandoque etiam vomitus cum diarrhœa bilioſa conjunctus eſt, in cauſo vero nulla evacuatio evenit, hinc bilis incluſa atque in primis viis incarcerata manet.

Tertio a Synocha tam ſimplici quam compoſita & cacochymica differt, in qua nempe ad Celeb. FRID. HOFFMANNI mentem Med. Rat. Syſt. Tom. IV. Part. I. Sect. II. Cap. II. non tam acris & ingens calor eſt, neque tam inexhauſta ſitis, ſed æſtus mitior cum madore quodam conjunctus. Inſuper ſynochus ſanguineos magis, cauſus vero cholericos frequentius adoritur.

Quarto a febre Lipyria, in qua inflammationis ſive fientis ſive jam factæ indicia ſeſe offerunt, & æger ne attactum quidem externum regionis affectæ ferre poteſt: ab elode, quæ juxta Collect. Hiſt. Morb. Uratislav. 1699. pag. 63. inutiles & intempeſtivos ſudores comites habet; ut reliquas differentias, quibus ab aſſode, typhode febre, ſudore Anglico aliisque diſcrepat, ſilentio prætercam.

THES. III.

THES. III.

Quod vero Diagnosin attinet, febris hæc facile cognoscitur ex symptomatibus suis pathognonomicis, quæ sunt, præter calorem totius corporis intensissimum & igneum quasi, etiam sitis magna & inextinguibilis, clamosa dicta, quia ægri magno cum desiderio & clamore potum expetunt atque ab adstantibus velut extorquent; conjuncta cum siccitate oris ad fissuras usque increbescente & inflammatione faucium anginodea: quæ Hippocrates Lib. de Affection. §. XI, magna ex parte his verbis complexus est: scilicet quod in ea calor sit fervidus, sitis fortis, lingua aspera ac nigra, color sub-biliosus & sputa biliosa. Porro pulsus est magnus, celer atque frequens, respiratio difficilis & laboriosa observatur; Urina vero ratione coloris flammea atque intense rubra & ratione consistentiæ tenuis atque clara peneque pellucida apparet, alvus quoque omnino adstricta est. Comitari vero etiam solent hanc febrem vehemens dolor capitis, inprimis pungitivus & pulsatorius, deliria, convulsiones, vigiliæ atque inquietudo corporisque jectigationes variæ. Præterea in multis subjectis se simul quoque exserunt anxietas maxima & cardialgia, item sensus insignis ardoris circa præcordia, qualis a

prunis candentibus oriri ſolet, nauſea & conatus vomendi, præſertim ſi materia bilioſa acris per iracundiam prægreſſam ad primas vias depoſita & ibi collecta fuerit, quæ nempe nerveas ventriculi & inteſtinorum tunicas continuo irritat atque vellicat.

THES. IV.

Subjecta autem febris ardentis ſunt frequentius homines habitus macilenti, ratione temperamentorum ſanguinei & præcipue cholerico-melancholici & animi ſenſibilioris; ætatis vero reſpectu adoleſcentes & juvenes indolis activioris, ob eorum nempe ſanguinem ad varias ſanguinis ebullitiones natura valde pronum, item qui natura alvum ſicciorem habent, huic febri facilius ſubjiciuntur.

THES. V.

Cauſa proxima Febris ardentis ſive Cauſi eſt ſumme efferatus & impetuoſus M. Seæ. motus (ſive nimia ſanguinis ebullitio) qui motus dependet a particulis iſtius ſulphureo-bilioſis in majori copia præſentibus, feroſis vero blandis in eadem deficientibus. Omnia igitur, quæ ſecundum Cl. HOFFMANNVM, ſanguinem exæſtuant & uberiori

par-

particularum ſulphurearum in ſanguine proventui favent, liberam quoque ejus circulationem impediunt, ad febrem ardentem diſponunt.

THES. VI.

Hinc ex cauſis procatarcticis & remotioribus nonnaturalibus vulgo dictis ſymbolum ſuum huc contribuunt ſequentes: Primo aëris conſtitutio varia, aër quippe nimis calidus humores acres augendo atque rarefaciendo, exagitandoque M. Seam, unde etiam regnante tempeſtate nimis calida & ſicca, eaque diu ſubſiſtente, febris ardens frequentiſſima eſt, & ob hanc cauſam quoque in regionibus calidioribus hæ febres frequentius quam alibi graſſantur: frigidus autem & præprimis ſubita mutatio aëris calidi in frigidum huc confert, tranſpirationem inſenſibilem impediendo, unde particulæ ſulphureo-acres & variæ excrementitiæ, tranſpirationi alias deſtinatæ in M. Sea. retinentur, item quoque hoc facit hauſtus largior frigidus calefacto motu majore corpori ingurgitatus. Secundo: Diæta calida, aromatica atque vinoſa, inprimis uſus vinorum generoſiorum uti ſunt Rhenanum, Moſellanum & Hungaricum, & aliorum ſpirituoſorum variorum, orgaſmum nempe in M. Sea excitando, quare ii, qui his nimis indulgent, crebrius in febrem ardentem incidunt.

THES. VII.

THES. VII.

Tertio: Motus omnis corporis vehementior, maxime ſirio ardente ſuſceptus & diu continuatus, tum exagitationem nimiam ſanguinis tum ſeri difflationem majorem efficiens, quo etiam referendæ ſunt vigiliæ nimiæ, imprimis lucubrationibus meditationibusque ſeriis combinatæ. Quarto: Evacuationes ſanguinis variæ naturales, menſium ſcilicet, lochiorum, hæmorrhoidum & narium hæmorrhagiæ alias conſuetæ emanentes vel ſuppreſſæ, nec minus artificiales ut V. S. ſcarificatio aliquamdiu neglectæ & intermiſſæ frequentior quoque Cauſi cauſa ſunt, plethoram augendo & orgaſmum a levi cauſa occaſionali excitando. Quinto: Animi pathemata graviora, atque ex iis maxime iracundia vehemens, præprimis ſuppreſſa & diſſimulata M. Seam nimium, quam par eſt, commovendo atque copioſiori effuſioni bilis ad inteſtinum duodenum & ventriculum occaſionem præbendo; maxime eo tempore, quo cibi ad fermentationem proni aut potus fermentativus & fœculentus paulo poſt aſſumuntur, aut brevi antea aſſumpti fuere; probe quippe notanda illa circumſtantia eſt, bilem ſolam ſibique relictam tantum noxæ non afferre, quantum affert a fermentatione cum ingeſtis

geſtis acrior & cauſtica veluti reddita. Ex cauſis præternaturalibus vero inflammationes variæ graviores viſcerum febrem ardentem ſæpius excitant.

THES. VIII.

Prognoſin quod concernit, in genere circa eam monendum, quod juxta Hipp. in Aphor. Sect. II. aphor. 19. morborum acutorum nullæ certæ ſint prædictiones, cum ſigna ſalutis & mortis hic ſint infida & fallacia, ut ita difficile ſit quid certi determinare; unde Medicus hic ſe prudentiſſimum gerat, ut nempe nunquam promittat reconvaleſcentiam ægri, ſed ſemper adſtantes inter ſpem & metum dubios relinquat. Febris vero ardens recte refertur inter affectus periculoſos & acutos, intra 7. enim vel 14. dies hominem aut enecare aut a morte abſolvere ſolet: quare etiam ſub febris lethiferæ nomine apud Hipp. Lib. II. de Morb. veniens & hæc forſan non male intelligitur. Eventum vero vel ad ſalutem vel ad mortem ſymptomatum graviorum præſentia vel abſentia indicant: Peſſima igitur ſigna ſunt vigiliæ nimiæ, deliria furioſa, motus convulſivi & inquietudo ſumma, item anxietates præcordiorum continuæ & extremorum corporis refrigeratio, internarum vero par-

tium æstus urens, quæ nempe symptomata præsentia funestum utplurimum exitum portendunt; insuper ideo quoque gravis est hic affectus, quia materia biliosa, quæ causa ejus existit, ordinarie per nullas vias evacuatur, sed omnis in primis viis detineri solet. Quod modum vero eventus hujus febris attinet, solvitur hæc utplurimum sudore aut alvi profluvio, idque bono omine.

THES. IX.

Evolutis igitur breviter iis, quæ ad theoriam pertinent, ulterius nunc progredior ad methodum medendi hujus febris: ut vero quæcunque curatio rite & legitime peragatur, oportet Medicus rationalis certis ut innitatur Indicationibus, quare sequentes formari possunt. Primo Ebullitio M. Seæ nimia sive motus ejus impetuosus temperandus, invertendus atque componendus est. Secundo Serum deficiens blandum in M. Sea restituendum, atque Tertio Symptomatibus præcipuis & maxime urgentibus in hac febre debitis etiam præsidiis obviam eundum.

THES. X.

Primam Indicationem respiciunt blanda diaphoretica & bezoardica, inprimis fixa & tempe-

rata,

rata, quatenus hæc particulas ſulphureo-bilioſas acres per lenem diaphoreſin blande diſſipant, ſimulque temperant & corrigunt; ſudor vero fortior atque coactus per calidiora & volatilia remedia omni modo vitandus eſt. Talia remedia vero ſunt ♁ diaphor. ſimpl. & ♂le, bezoard. mineral. C. C. philoſ. præparat. ebur ſ. △. unicorn. foſſ. & verum, terr. ſigill. lap. ♋ ſuccin. præparat. matr. perl. corall. rubr. & alb. cryſtall. mont. præparat. cinnabaris utraque & alia, quibus ad compeſcendum ſanguinis æſtum nitroſa admiſceri, variæque ex dictis pro re nata formulæ componi poſſunt: item conveniunt pulveres bezoardici variorum Autorum, uti Sennert. Wedel. Ludovic. Rollwag. Anglic. Pannon. rubr. March. item lap bezoar orient. & occident. Eidem fini inſerviunt potiunculæ variæ diapnoicæ & ſimul refrigerant. ex ▽is Card. Bened. Scorzon. Flor. Sambuc. Galeg. Ulmar. Ceraſ. nigr. C. C. Citr. Rub. Id. Prophylact. Sylv. Herc. Saxon. frigid. aliisque paratæ & cum acidulis e. g. Syrup. acetoſitat. Citri, pulveribusque convenientibus remixtæ, vel Mixturæ v. g. ex eſſent. alexipharm. Stahlii, Pimpin. alb. & Scord. compoſitæ.

THES. XI.

Venæſectio, quæ optime etiam æſtum compeſcit & temperat, tempeſtive eſt inſtituenda,

B 2 nem-

nempe duabus vel primis febris diebus, in brachio, vel pro majori revulſionis gratia in pede. Poſtea vero & ſub lingua adminiſtrata locum habere poteſt ad ſtaſin & fervorem ſanguinis in partibus faucium ſpongioſo-glandoſis corrigendum: ratio vero ſemper circa adminiſtrationem V. S. ſimul habenda eſt temperamentorum, conſuetudinis, ætatis atque virium, imprimis quoad quantitatem ſanguinis emittendi.

THES. XII.

Ad æſtum extinguendum & ebullitionem temperandam conveniunt quoque blanda acida, nempe Succ. Citr. rec. Granat. Syr. Acetoſ. Citr. Berb. Tinct. Viol. Roſ. fl. Bellid. Aquileg. Papav. rhœad. Clyſſ. ♄ ♀at. it. ⌒ min. acid. ut ⌒ ⏀, ⊖ & Vitrioli, quæ nempe partim potui ordinario inſtillari, partim quoque varii julepi ex iis confici poſſunt, quales in Collegio Practico communicavit Celeberr. Dn. Prof. SALZMANNUS, Patronus atque Præceptor ſummopere venerandus, cujus etiam erga me egregia & quamplurima benefacta pia mente recolere haud deſiſtam unquam. Sunt vero ſequentes uſus eximii: ℞. ▽ Fragar. Cichor. Nymph. Lactuc. Rub. id. ana ℥j. Syr. Acetoſ. Citr. de tot. Citr. ana ʒvj. ⌒ Vitrioli dulc. q. ſ. ad grat. acid. m. f. Julepus vel ſeq.

℞. Fl.

℞. Fl. Tunic. Rof. rubr. ana mß. Pap. rhœad. pij. Cort. Citr. rec. ℥ß. mxt. & concif. afperg -∽- Vitriol. dulc. gutt. aliquot. & mox infundantur in ▽ fontan. ℔ß. add. fucc. Citr. ex uno pomo expr. probe tecta ftent in loco tepido per aliquot horas, poft colentur & add. Syrup. Rub. Id. & Granat. ana q. f. ad gratum faporem. Eundem quoque habent ufum Nitrofa, quæ in compefcenda bilis acrimonia omnibus aliis remediis palmam facile præripiunt, & M. S. fimul fluxilem reddunt; qualia funt lap. prunell. ⦶ depur. regen. fucco papav. tinctum ⦶ antimoniat. perlat. item ⊖ia med. ut ☿ vitriolat. Arcan duplicat.

THES. XIII.

Minus vero in Febre ardente conferunt vomitoria & purgantia, imprimis fortiora, quippe quæ commovent nimis humores atque exagitant, feroque corpus privant, prætereaque conftrictiones in primis viis pariunt, unde major bilis copia eo affunditur; quod fi vero varii prægreffi diætæ errores huic febri anfam dederint, item quando cardialgia & conatus vomendi urgent, tunc ftatim in principio vel lene vomitorium, e. g. Pulv. rad. Ipecac. quippe quæ præter vim emeticam virtutem quoque habet alexipharmacam, vel etiam laxans blandum, fcil.

 infufum

infusum ex fol. Sennæ & Rhabarb. cum rad. Scorzon. fl. Bugloss & Cryſtall. ♀ri, item decoct. Tamarind. ſolum vel cum modo recenſitis ſociatum tuto exhiberi poſſunt. Ad alvum vero, ſi hæc adſtricta eſt, reſerandam, conveniunt optime clyſteres lenientes & emollientes, ex ſolo lacte, melle roſaceo ac ꝏ amygd. dulc. cum pauxillo ⦶ parati. Et hæc ſunt quæ ſub prima indicatione notanda fuere.

THES. XIV.

Secundæ vero indicationi, quæ nempe requirit ſeri blandi deficientis reſtitutionem, ſatisfaciunt præprimis diluentia & humectantia varia. Ita huc facit potus largior & ſufficiens aquæ ſimplicis purioris, decocta prius & alterata taleolis mali citri & pane leviter toſto: imo locum habet in conſuetis præprimis cereviſia tenuis & ſecundaria, ſicut alias ſerum lactis, item infuſum Thee vel Theiforme conducunt; ex herb. ſcil. veron. capill. vener. fl. papav. rhœad. bellid. min. & viol. parata. Porro conveniunt varia decocta loco potus ordinarii aſſumpta, ut decoct. hord. raſur. C. C. vel ebor. rad. ſcorzon. cum ceraſis acidis paratum, nec non gelatinæ C. C. vel Eboris maximi uſus ſunt. Non minus Emulſiones temperantes & demulcentes commodam quo-

quoque ferunt opem ex amygd. dulc. ſem. 4. frigid. maj. pap. alb. cum aquis diaphoreticis atque refrigerantibus ſupra dictis paratæ, quibus quoque varii pulveres bezoardici temperati & abſorbentes pro circumſtantiarum varietate admiſcendi, addita pro edulcoratione ſyrup. dialth. Fernel.

THES. XV.

Atque hactenus recenſita remedia febrem ipſam ejusque curationem ſpectant, dantur tamen adhuc etiam varia ſymptomata maxime urgentia, quæ & mitigationem & ſui remotionem indicant, ex quibus præcipue ſunt ſitis, ſiccitas oris & inflammatio faucium, dolor capitis, vigiliæ, deliria, motus convulſivi. Quod primo loco ſitim attinet, quæ in hac febre maxime urget, eam mitigant & compeſcunt diluentia aquea, acidula, nec non ⦶ſa ſupra recenſita, ita tamen ea adhibenda ſunt, ne ventriculus inde lædatur. Convenit etiam globulus cryſtallinus in ore detentus vel grana maſtich. ad majorem ſalivæ copiam in cavitate oris provocandam.

THES. XVI.

Secundo contra ſiccitatem oris ejusque fiſſuras conveniunt °₀₀ amygd. dulc. item mucilagi-

nes

nes ſem. cydon. pſyll. cum aqüis fl. violar. ſedi maj. & roſarum extract. quibus frequenter lingua illinenda eſt, atque gargariſmata temperantia & abſtergentia ex decoct. nempe hord. mell. roſac. aut rob. diamor. Inflammationi vero faucium opponenda itidem gargariſmata convenientia, remixto ⦶ vel lap. prunell. item venarum ſublingualium ſectio jam laudata locum quoque habet. Tertio, reſpectu doloris capitis huc faciunt epithemata frontalia, v. g. ex aqua verben. aneth. roſar. fl. ſambuc. nymph. acet. roſac. ⦶ ♄at. & requie Nicolai, vel emulſiones ex nucl. perſic. ſem. pap. alb. & hyoſc. cum dictis aquis paratæ, cui add. quoque pulv. rad. rhod. ut & linimenta ex unguento ſcilicet alabaſtr. ⁰₀₀ nucl. perſic. opio in acet. ſolut. & camphor. applicari poſſunt: nec minus Epithema Celeb. Frid. Hoffmanni ex acet. roſac. nitro, aqua roſar. camph. in ~ roſar. ſoluta & ⁰₀₀ lign. rhod. compoſitum præſtantiſſimi uſus eſt.

THES. XVII.

Quarto, Vigiliæ nimiæ iisdem fere remediis ſedantur, quibus dixi ſubveniri cephalalgiæ; præterea conveniunt Emulſiones interne circa noctem datæ & remedia anodyna atque narcotica provide adhibita. ut diaſcord. Fracaſt. at-

que

que Theriac. Andromach. & cœleſt. commixta imprimis in refracta doſi cum diaphoreticis, diluentibus atque temperantibus. Quinto, in deliriis præter hactenus recenſita remedia veſicatoria brachiis vel ſuris applicata præprimis locum inveniunt, revellendo nempe & revocando lympham bilioſam acrem, atque ad alium motum ſpiritus redigendo. Sic & ad hæc declinanda optime conveniunt columbæ vel gallinæ vivæ diſcerptæ, & dum cruorem adhuc calidum ſtillant, capiti raſo applicitæ; eundem effectum quoque edunt acria plantis pedum impoſita. Atque ſexto motus convulſivi febri huic plerumque ſe aſſociant, quorum igitur rationem habent varia antepileptica, ut unicornu verum, ſpecif. ceph. Mich. pulv. epil. Marchionis, pulv. bezoard. Sennert. cum aquis temperatis, ceraſ. nigr. fl. pœon. atque til. mixt. parciori quantitate aqu. epil. etiam addita; uti & veſicatoria tempeſtive applicita eximie ſe gerunt.

THES. XVIII.

Denique ad Diætam quod attinet, ab aëre nimis frigido ſtudioſe ſibi caveant ægri, nec tamen è contrario ſit nimis calidus, nimio enim hocce calore febris magis accenditur, & ſitis aliaque ſymptomata augentur, viresque quam

maxime imminuuntur ; calor ergo ſit moderatus, qui ſcilicet ad lenem diaphoreſin conſervandam ſufficit. Victus vero, uti in reliquis morbis acutis, ſit tenuis, quare juſcula non multum ſaturata ex carne vitulina, pullis gallinaceis aut hordeo & avena parata ſolum aſſumant ægri, omnia aromatica autem & nimis calida, utpote ſanguinem nimis commoventia atque exagitantia ſedulo vitent. Potus uſus item ſit tenuis, diluens atque ſufficiens, non vero frigidus, utpote a quo cardialgico-lipothymica mala patiuntur; abſtinendum prorſus à vino. Somnus omni modo promoveatur, & quieta corporis in lecto continentia obſervetur. Alvus inſuper aperta ſervanda. Præprimis autem ſollicite caveant ſibi patientes ab animi pathematibus gravioribus & omnibus iis, quæ ſupra ſub cauſis remotioribus recenſita jam fuere. Et hæc de propoſito themate breviter dicta ſufficiant.

DEO interea pro conceſſis viribus ſit
Laus, Honor & Gloria.

TANTUM.


(o)



Æſtu

ÆStu qui torquet vehementi corpora noſtra
Cavſus, pro Cura pharmaca blanda petit:
Hunc dum ſolenni nobis certamine ſiſtis,
Oſtendes ignem phlegma ſimulque Tuum.
Offert jam Titulos, quos ambis, magnus Apollo
Atque Tuis ſtudiis præmia digna parat.

Hæc Nobiliſſimo atque Doctiſſimo Dno Hentſchelio, Med. Candidato digniſſimo votiva amicaque mente adjecit
JO. JACOBUS SACHS, D. h. t. Fac. Med. Dec.



Æſtus febrilis, quo vix funeſtior ullus
Humano generi, & crebrior eſſe ſolet
Affectus, ſolide cauſamque modumque recludis,
Visque ejus frangi qua ratione queat.

Egregia HENTSCHELI *Tua* quæ conamina laudo,
Queîs hosti infenso seria bella paras.
Optoque, multiplices ut agas de febre triumphos,
Et cesset nimius *Te* moderante calor.
Fortunamque *Tuis* virtutibus apprecor æquam;
Sic capies studiis præmia digna *Tuis*.

Hisce Nobilissimo atque Doctissimo DNO. CANDIDATO, Fautori suo Æstumatissimo, prolixiore affectu quam calamo applaudit

JOHANNES SALZMANN, Med. D. Anat. & Pathol. Prof. P. Ord. Sen.

So groß die Freundschafft ist / die Du in mir erreget /
So starck wird meine Brust zum Wünschen jetzt beweget.
Der Höchste segne Dich / das Glück sey Dir geneigt /
Biß sich Dein Wohlergehn in schönster Blüthe zeigt:

Dein Tugend/ Witz/ Verstand hat längstens schon verdienet/
Daß Pallas Lorbeer-Laub um Deine Scheitel grünet.

Dieses wenige wolte dem Herrn Lic. als seinem werthgeschätzten Freund und Gönner beysetzen, dessen ergebenster Diener und Freund

J. C. Ehrmann Med. Lic. Opp.



MEin FREUND! Du hast erlanget/
Durch vielen Schweiß/
Womit Dein Haupt nun pranget/
Zu Deinem Preiß/
Des Fleisses Ehren-Cron/
Die man Dir längst gegönnt/ als Phœbi ächtem Sohn.
Du zeigest nicht sonder Ruhm durch Dein Schreiben/
Wie man des Fiebers Wuth/
Das hefftig raßt und tobt in unserm Blut/
Durch Mittel könne hintertreiben.
Mein Wunsch und Hoffen ist/
Daß Du/ mein FREUND! mit kurtzem bist/

Deine

Deine Gaben zu belohnen/
Geziert mit vielen Ehren-Cronen.

Mit diesem recommendiret sich dem Herrn Licentiaten Desselben ergebenster Freund und Diener

Joh. Petr. Divoux, Med. Cand. Opp.

Wenn Deine Feder will von Hitz des Fiebers sagen/
Wird Deiner Trefflichkeit die Helfft kaum abgetragen.
Allein glaub nur / mein Freund! die Zeit wird Blüthe bringen/
Von deren Früchten einst der Musen Chor wird singen.
Der Himmel cröne Dich indeß mit Wohlergehn/
So wird Dein Glück so hoch als Deine Tugend stehn.

Dieses wenige wolte zu Bezeugung seiner Hochachtung gegen dem Herrn Candidato be-setzen

J. G. Salzmann, Med. Stud. Oppo.

(o)